



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

XII. De circumstantiis, Quomodo & Quando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

fando se violatione voti castitatis, quia fortasse illud reipsa non violauit, si v. g. postea non consummauit matrimonium, nec debet etiam se accusare de centum, vel mille copulis postea habitis, quia illæ ad reddendum debitum positi non fuerunt iam peccata, sed actus honesti, & necessarii ex suppositione matrimonij facti, sed debet confiteri matrimonium factum, seu quod exposuit se periculo, & necessitati faciendi sapius contra vorum à se emissum: hoc enim modo, & non alio explicat bene peccatum, quod commisit. Denique fur, qui consumpsit pecunias furtiuas, non debet illud explicare, sed furtum, & reprimis, quo potuit restituere, & non restituit: nam illa consumptio pecuniæ, non habet aliam malitiam, nisi malitiam furti continuati, sicut qui furatus tres, aut quatuor gallinas, eas comedit, non debet explicare actum comestionis, cum non sit, nisi contrectatio quædam rei alienæ inuito domino.

495. Vltimò obijci potest, quia studium, vel quæcumque alia actio, si impossibilis est cū auditione Missæ, impedit in genere causæ formalis audire Missam, non possunt enim esse simul illæ duæ actiones: ergo negatio Missæ pendet etiam ut effectus à causâ formali ab illo studio, vel ab illa occupatione: ergo studium erit peccatum, cum sit causâ non audiendi Missam. Respondetur negatio antecedens, si in rigore loquamur: plus enim est impedire Missam, quam esse impossibilem cum Missâ. Nam impedire dicit causalitatem, & influxum, seu quod hoc sit ratio absentia alterius: studium autem, licet non possit esse cum Missâ, non tamen est ratio, cur non sit Missa, nec influit in Missæ negationem, cum potius negatio Missæ sit ratio ponendi studium, ideoque non potest in rigore dici, quod studium impediat ab audienda Missâ, quia non habet prioritatem, & independentiam necessariam, ut possit influere in negationem Missæ.

496. Posset quæri, an circumstantia finis mali possit explicari seorsim, v. g. an si furatus es propter mœchiâ & confessus es furti oblitus desiderij mœchiâ, possis in alia confessione cōfiteri hoc desiderij mœchiæ absque furto. De hoc tamen dicemus infra *sect. 6.*

Vltimò dubitari solet, an quando aliquis peccat ex mortuo confidentia, quam habet de remissione à Deo obtinenda, debeat eam circumstantiam confidentia explicare in confessione. Et quidem confidentia hæc multipliciter potest contingere. Primò, si quis speret, quod etiam sine pœnitentia propterea Deus illi remittet peccata: & hæc quidem esset præsumptio hæretica, & necessariò confitenda. Secundo, si quis peccaret cum proposito agendi pœnitentiam citò, & cum spe obtinendi veniam: & hæc quidem non videtur circumstantia aggravans, sed potius minuens peccatum, quia arguit voluntatem minus firmam in malo. Tertiò, si quis peccat cum proposito perseverandi in peccato, sed cum spe veniæ, & hæc videtur præsumptio aggravans, de quo Bonau. in *apol.* & S. Th. 2. 2. q. 21. art. 2. Caiet. ibi & Nau. in *sum. cap. 6. n. 4.* sed tamen non videtur esse circumstantia explicanda, quia non mutat speciem peccati.

SECTIO XII.

De circumstantiis, Quomodo, & Quando.

497. Quæ pertinent ad circumstantiam Quomodo.

SEXTA circumstantia est, *Quomodo*, ad quam plura possunt reduci. Primò modus violentiæ, quæ quidem transfert in nouam speciem, & debet explicari, v. g. furtum cum violentia illata est rapina: copula cum femina reluctante est raptus, & sic de aliis. Secundo modus, quo aliquis occidit discerpendo postea cadaueris membra, extrahendo iecur, & similia, per quæ contrahitur malitia feritatis specialis,

Tertiò pertinet modus intentionis, quæ quis peccat; qui in sententia obligante ad circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem explicandas, debet exprimi, & non parum laborant ij Auctores, ut excusent ab intentione explicanda: in nostra tamen sententia non est difficultas, cum tota ea intentio non afferat malitiam specie diuersam.

Quartò pertinet modus peccandi ex consuetudine, de qua dubitari potest, an debeat necessariò explicari, de hoc tamen diximus *suprà sect. 4. n. 200.*

Quintò pertinet modus peccandi ex ignorantia, an debeat explicari, quod peccatum est ex ignorantia culpabili, de hoc diximus etiam satis *illâ sect. 4. n. 182.* Restat tamen simile dubium de peccante ex conscientia erronea; an qui violauit ieiunium, quod putabat esse sub obligatione, cum reuera non esset, debeat explicare se violasse ieiunium cum conscientia erronea, cum reuera non obligaret, an verò sufficiat dicere se violasse ieiunium, Adrianus in *4. q. 4. de confessione*, dixit peccatum contra conscientiam errantem esse speciale peccatū necessariò explicandum. Quam sententiam reprehendunt Salas, Valentia, & Sayrus, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 1. de Decalog. 11. n. 5.* quia si peccatum illud haberet speciem malitiam ex præcepto non agendi contra conscientiam, sequeretur peccata alia, quando conscientia non errat, habere duplicem malitiam, alteram contra talem virtutem, alteram, quia sunt contra conscientiam. Dicendum ergo est, etiam si conscientia errat, peccatum habere idem obiectum in specie, quod haberet, si esset vera obligatio. Vnde puer, qui falsò putat se teneri ad ieiunium & non ieiunat, committit peccatum eiusdem speciei cum eo, quod committit adulescens obligatus ad ieiunandum.

Adhuc tamen potest esse difficultas practica, an qui ex conscientia solùm erronea peccauit, debeat explicare illam circumstantiam; an verò sufficiat dicere, peccauit grauiter peccato detractum; si reuera non erat detractio grauis, sed solùm erat peccatū propter conscientiam erroneam, quia putabat materiam esse grauem, cum esset levis. Ratio dubitandi est, quia licet detractio cum noumento graui vero, & detractio cum noumento leui, sed existimato graui non differant specie, imò sunt æquales in malitia; differunt tamē numero, & vna nō est aliam: nam detractio levis existimata grauis, non est detractio grauis, seu in materia graui. Si ergo confessus ex detractioe cum noumento graui, non es confessus illam detractioem, quam commisit, sed aliam distinctam circa aliam materiam diuersam, quam nunquam commiseras. Similiter si proieisti in flumen vas plumbeum, aut lignèum tui proximi, putans esse argentum; vel vas tuum putans alienum, & confitearis, quod proiecasti vas alienum argentum, &c. non dixisti peccatum, quod reuera fecisti, sed quod putabas te fecisse, cum illud nō feceris, sed aliud, quod non es confessus: ergo non confiteris peccatum verum, sed existimatum: atque ideo, ut cōfitearis peccatum verum debes dicere, proieci in flumen vas meum, putas esse argentum. Propter hæc fortasse P. Salas 1. 1. in 1. 2. tr. 8. *disp. vnica, sect. 3. n. 28. in fine*, addidit hæc verba: Cum verò quis remlicitam egit, putans esse illicitam, & sic occidat feram, putans esse hominem: debet errare exprimere, alioquin enim nō intelligitur malitia actus externi, quia occisio fera mala non est, & Suarez in *presenti, disp. 22. sect. 4. n. 14.* dixit illa duo peccata esse quidem eiusdem speciei. Addit autem: Quæcirca si posset in confessione explicari illud peccatum, & malitia eius, non explicando conscientia erroneam, non multum referret ad confessionem: moraliter autem id explicatur, quia vix potest aliter dici peccatū, & sape est valde expediens, ut confessor possit illi conscientia erroneam

errorem tollere. Addit Fagundes d. lib. 4. cap. 5. n. 14. satis esse cōfiteri tunc in hunc modum, *feci furum, dum rapui id, quod putabam esse alienum: violavi festum: non interfui sacro, dum putarem me ad id teneri*, quo etiā modo loquitur Henric. lib. 2. de penit. cap. 6. n. 4. De hoc tamen non est dubium, quod sufficiat ita confiteri: sed difficultas est, an sufficiat confiteri illā violationem festi ex conscientia erronea simul cum aliis veris, non distinguendo inter illas, sed dicendo, toties violavi festa, vel non interfui sacro diebus festis.

Et quidem Pater Suarez verbis adductis magis difficile reddere videtur rem hanc, dum dicit moraliter id semper explicari, quia vix potest aliter dici peccatum. Nam si sensus sit, penitentes communiter explicare illam circumstantiam conscientia erronea, quia non sciunt ipsi, nec possunt dicere suum peccatum sine illa: hoc, inquam, est contra praxim penitentium: vix enim vnum reperias, maxime in rusticis, qui explicet se peccasse ex conscientia erronea: sed illa peccata eodem prorsus modo confitentur, sicut si fuissent contra conscientiam non errantem; si autem sensus illorum verborum sit debere regulariter explicari illam circumstantiam, quia alio modo difficile explicatur illud peccatum, quod factum est propter rationem dubitandi à nobis propositam: tunc videtur aliunde difficilis illa doctrina: & non iuxta mentem illorum Doctorum, qui vniuersaliter dicunt illa duo peccata non differre specie, & ideo non oportere, quod illa circumstantia explicetur in confessione. Sic loquitur Sanchez illo n. 5. his verbis: *sed dicendum est cum his Auctoribus non esse speciale peccatum, & ideo satis esse fateri præcepti violationem, quam conscientia errans distabat, non declarando fuisse contra conscientiam erroneam*. Eodem modo loquitur Valentia 1. 2. disp. 2. q. 14. punct. 4. ante q. 3. his verbis: *Ex dictis sequitur falsò docuisse Adrianum in 4. in materia de confess. q. 4. illum qui discordat à conscientia vera, vel erronea, committere eo ipso speciale peccatū, idq; debere in confessione exprimere*.

Præterea difficilis est illa doctrina propter onus, quod imponitur penitenti confitendi iterum postea eadem peccata cum illa circumstantia, quam antea non cognouerat. Nam si aliquis v. g. credebatur se obligari ad ieiunandum, & habere iam etatem, & ideo se accusauit sæpius de peccatis contra ieiunium factis; postea verò agnouit se nondum habere etatem, deberet iterum confiteri illa peccata: nam prius confessus fuerat, se violasse præceptum Ecclesiasticum, quod tamen reuera non violauerat, sed in apprehensione, cum reuera non esset tale præceptum Ecclesiasticum, quod eum obligaret. Similiter si aliquis se accusauit sæpius de violatione voti, postea verò doctior factus agnouit, se non obligari illi votis, quia erant de rebus indifferentibus, atque ideo peccasse solum ex conscientia erronea; deberet iterum confiteri illa peccata explicando, non fuisse transgressiones veri voti, sed existimari; quæ & similia, quæ passim occurrunt, graue onus imponerent, & penitentibus repetendi confessiones quoad multa peccata, & Confessariis interrogandi penitentes, quos passim inueniunt laborasse ignorantis, & peccasse ex conscientia erronea, atque ideo deberent illos interrogare, an in confessionibus præcedentibus confessi fuissent illa peccata, ut veras transgressiones præceptorum; oportet enim se iterum de illis peccatis accusare, prout fuerunt, & non prout prius credebantur.

Propter hæc itaque dicendum existimo, regulariter loquendo, non esse obligationem explicandi illam circumstantiam, maxime quoad confessiones præteritas, in quibus non fuit explicata: quoad confessio-

P. Ioann. de Lugo de Penitencia.

nes verò præsentis, quando penitens ipse aduertit, vel dubitat, an peccauerit solum ex conscientia erronea, tunc optimè faciet accusando se illa formulâ supra dictâ: *Feci hoc, vel illud putans me facere contra præceptum, vel contra obligationem grauem*: hoc enim modo explicat verum peccatum, quod fecit, & non se exponit periculo dicendi peccatum, quod non fecit. Quod verò attinet ad Confessarium, quando ipse aduertit penitentem in aliqua materia peccasse aliquando solum ex conscientia erronea, & aliquando ex vera interroget vniuersaliter: *quoties, v. g. reliquisti Missam, vel laborasti, &c. putans te peccare grauius contra præceptum*? Hoc enim modo comprehendet omnia illa peccata, & simul poterit illi auferre pro futuro conscientiam erroneam.

Dixi tamen, *regulariter*, hoc sufficere: quia aliquando oportebit explicare illam circumstantiam propter censuram, v. g. quæ non incurritur, si solum peccatur ex conscientia erronea, vel propter reservationes, quæ communiter tunc non incurritur, vel etiam quando materia ipsa est talis, ut nisi explicetur illa circumstantia, non intelligitur illud peccatū, sed aliud, vel nullum, ut si puer se accuset de violatione ieiunij, & nō dicat conscientia erroneam, Confessarius non intelliget illud fuisse peccatū: quare postea agnito errore conscientia, oportebit explicare denud illam circumstantiam, ut confiteatur illa tanquā peccata: quod in aliis similibus materiis contingere poterit, ut vel propter tale, vel tale tempus, vel aliquid aliud, Confessarius id intelligit de vero peccato, cū non fuerit illud, sed aliud existimatur, seu contra conscientia erroneam.

Restat nunc respondere ad rationem dubitandi supra propositam. Pro cuius solutione aduerto id, quod supra dixi, non esse obligationem confitendi distinctè effectum peccati, sed solum peccatum, & malitiam formalem illius, à qua, & non ab obiectina denominatur formaliter malum, & peccatū. Quando ergo ex conscientia erronea aliquis confessus est, se violasse ieiunium ab Ecclesia præceptum, iam tunc confessus est totam malitiam formalem, quam ille actus comestionis habuit à parte rei; hanc enim totā habet, non à præcepto Ecclesiæ, sed à cognitione præcepti & à voluntate comedendi cum illa cognitione: cum ergo tunc fuerit voluntas comedendi cum cognitione præcepti, iam fuit tota malitia formalis eadem, quæ esset, si præceptum esset verè à parte rei; ergo quod attinet ad malitiam formalem, eadem nō solum specie, sed etiam numero dicta est, quam de facto habuit illa comestio. Maior difficultas esse videtur, quomodo explicetur tunc verè illud peccatum ex parte subiecti, & nō aliud: explicatur enim comestio contra præceptū Ecclesiæ, cum reuera non fuerit comestio contra præceptū. Cæterum adhuc quoad ipsum subiectum explicatur idem, quod à parte rei positum est: nam in comestione contra præceptum possumus duo cōsiderare; nempe comestionē ipsam, & prohibitionem Ecclesiæ, cui opponitur: ex quibus prohibitio Ecclesiæ deseruit quidem ad denominandam illam actionem malam malitia obiectina; nō tamen deseruit formaliter ad denominandā illā actionem malā malitia formalis: quia esse comestionem malam malitia formali, non est esse prohibitam, sed representari prohibitam; & tamen imperari à voluntate; ergo illud, quod tunc falsò dicitur, nempe prohibitio Ecclesiæ, non est aliquid constituens illud peccatum in ratione talis peccati, neque ex parte formæ, neque ex parte subiecti: quia forma est sola malitia formalis proueniens formaliter à voluntate cum cognitione obligationis; subiectum verò, quod denominatur peccatum, non est prohibitio Ecclesiæ, sed illa actio comestionis secundum se: non ergo distinguitur illud peccatum etiam numero ex eo,

H h 3

Quod

quod fuerit vera, vel falsa, & apparens prohibitio Ecclesiæ, atque adeo illud idem peccatum sub tota ratione, talis peccati manifestatum fuit, neque oportet illud repetere.

507.
*De detractio-
ne leui quam
quis putat
esse grauem.*

Hoc idem ferè inuenire possumus in aliis peccatis, si res attentè consideretur, v.g. in detractio-
ne leui quam aliquis ex conscientia erronea putat esse grauem, & ideo confessus est detractio-
nem grauem; nam ibi etiam interuenit illa malitia formalis, scilicet voluntas proferendi illa verba cum cognitione malitiæ grauis; quæ malitia formalis est eadem, quæ esset, si conscientia non erraret, est præterita illa prolatio verborum, quæ denominatur peccatum ab illa malitia formali, non à nocumento, quod re ipsa infert, sed ab apprehensione nocumenti grauis, & hæc etiam verborum prolatio eadem est, quæ esset, si illa verba afferrent re ipsa graue nocumentum proximo; ipsum autem nocumentum, quod solum deest, non est peccatum, nec intrat ad componendum hoc peccatum in ratione talis, sed esset effectus peccati. Ergo idem non solum specie, sed idem etiam numero peccatum explicatum est, quod esset, si non fuisset ex conscientia erronea, sed cum verò nocumento graui.

508.
*De furto rei
tuae quam
credebas
alienam.*

Idem reperies in peccato furti: si verbi gratia, accepisti rem tuam, quam putabas alienam; nam malitia formalis, quæ prouenit à voluntate cum tali cognitione est eadem, quæ esset, si res fuisset aliena: & actio externa acceptionis est etiam eadem, quæ tunc fuisset, solumque deest, esse alienam, quod nec imponit malitiam formalem, sed obiectiuam, nec imponit subiectum, quod denominatur peccatum, atque ideo totum illud peccatum in ratione talis confessus es, quamuis dixeris, fuisse fur-
tum rei alienæ. Idem est de habente copulam cum ea, quam falsò putabat esse consanguineam, vel habere votum castitatis; nam peccatum idem numero est quoad malitiam formalem, & quoad actionem ipsam, quæ denominatur peccatum, quod fuisset, si reuera fuisset consanguinea, vel haberet votum castitatis.

509.
*De eo qui su-
ratur plum-
bum putans
esse aurum.*

Difficilius fortasse hoc declarari potest in peccato illo, quando per errorem quis furatur plumbum nullius pretij, putans esse aurum: tunc enim actio ipsa furti, quæ denominatur peccatum, & quæ explicatur in confessione, non est eadem, quando accipitur verum aurum, & quando accipitur plumbum: cum enim actio sit motus ille localis, quo auferatur aurum, vel plumbum de vno loco ad alium, illa autem actio varietur pro diuersitate passi; consequens est, ut non sit eadem saltem numero; atque ideo qui confessus est furturn auri, cum non esset aurum, non confessus est peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit.

Adhuc tamen ad hunc, & similes casus videtur cum proportionem posse applicari eadem doctrina; nam in illa acceptione plumbi alieni existimati auri possumus distinguere actionem propriè tuam, qua actiue moues, & quæ prout à te videtur solum terminari ad quantitatem illam, circa quam exerces immediatè motum; & rursus actionem, qua quantitas trahit secum substantiam plumbi, vel auri. Ex quibus duabus actionibus illa prior sola videtur esse propriè peccatum; quia peccatum est illud, quo tu operaris, & agis liberè: tu autem solum agis circa quantitatem, quæ actio eadem esset, licet sub illa quantitate, esset forma auri: actio verò posterior, qua quantitas trahit secum formam auri, vel plumbi, non tam est peccatum, quàm effectus peccati. Si ergo explicas actionem tuam circa illam quantitatem; iam dixisti totum illud peccatum quod fecisti: illud autem, quod deest, nempe, quod forma auri,

& non plumbi trahatur à quantitate, quam moues, non pertinet ad malitiam formalem, vt constat, quæ solum prouenit à voluntate mouendi cum cognitione auri; neque etiam constituit subiectum, quod denominatur malum formaliter, quod est solum illa actio tua: ergo de primo ad vltimum iam explicuisti totum, quod constituit illud peccatum in ratione talis peccati, & ideo non oportet illud iterum confiteri. Aliud fortasse videri posset, si occidisti per errorem Petrum, quem credebas esse Paulum, & confessus es te occidisse Paulum: quia per talem confessionem videris significare, actionem tuam fuisse circa talem quantitatem determinatam Pauli, quam designasti, & circa quam fuisset alia actio distincta. Sed neque in illo casu credo corrigendum communiter errorem, & licet in illo casu, vel alio simili concedatur, quod debebat corrigi ille error in confessione sequenti, & explicari non fuisset occisionem Pauli, sed alterius hominis: adhuc vera manebit regula supra posita ad alios casus regulariter occurrentes, in quibus non vis significare talem quantitatem determinatam, sed illam, circa quam operatus es, & error non versatur in ipsa substantia actionis, sed in hoc, quod sub illa esset hæc, vel illa forma, quod extrinsecè videtur se habere ad substantiam talis peccati. Vnde idem dicendum esset, si proiecisti in ignem canem, quem putabas esse aliquem puerum, & confessus es, te proiecisse puerum quemdam obuium in ignem: tunc enim etiam non est error in substantia actionis, quia non significas quantitatem aliquam determinatam, circa quam esset actio, sed illam eandem, circa quam fuit, & sub qua putabas esse substantiam hominis, cum non esset. In illo autem alio casu, quando dicis, te occidisse Paulum, loqueris de actione circa talem quantitatem Pauli, quam concipis, & per consequens erras in substantia actionis, quia significas aliam actionem quæ esse posset, & non fuit circa talem quantitatem Pauli. Hæc tamen fortasse nimis metaphysicè excogitata sunt; sed sine illis difficilè explicatur, vt vidimus, quomodo circumstantia illa conscientie erronee omissa non obliget ad confitendum iterum illud peccatum, quando prius dictum fuerat cum circumstantia contraria veri præcepti, vel veri furti aut detractio-
nis realis. Nunc transeamus ad alia.

Sextò dubitari potest circa eandem circumstantiam, quomodo, an debeat explicari in confessione, quando non solum peccasti, sed exposuisti te prius periculo incidendi in tale peccatum: ita ut debeat dicere, exposui me periculo, & in ipso periculo superatus sum. Respondetur, si inter periculum, & peccatum subsequens non intercedat talis, & tanta mora, quæ sufficiat ad distinguendum vnum peccatum ab alio; non esse necesse, illa seorsum explicare, sed sufficere explicare peccatum principale, cuius se periculo exposuisti. Pro hac conclusione adducit Diana i. tom. tract. de circumst. aggravant. aliquos Auctores, qui id in terminis non dicunt, sed tamen docent quod exponere se periculo pertinet ad eandem speciem, ad quam peccatum, cuius periculo exponitur. Ex hoc autem colligi potest nostra conclusio, quia si illa duo non differunt specie, & aliunde possunt moraliter coniungi ad faciendum vnum moraliter peccatum non est, vnde debeat explicari in particulari periculum, cui se exposuit peccitens, quia nihil aliud fuit, quàm quædam voluntas indirecta peccati sequentis, quæ facit vnum cum ipso peccato sequente.

Hinc infero, absque fundamento Fabrum in 4. disp. 14. quæst. 2. disp. 18. cap. 3. num. 68. & Ioannem Sandium

Sancionem in *selectis*, disp. 21. n. 19. & 20. docuisse eum, qui ob tentationem insurgentem carnis, verbi gratia deberet sub mortali orare ad implorandum diuinum auxilium, & resistendum tentationi, & omittit orationem, & succumbit tentationi, committere duplex peccatum, alterum contra religionem; alterum contra castitatem, & vtrumque debere in confessione explicare. Hoc tamen ex proximè dictis rejicitur: quia obligatio orandi tunc non est alia, nisi qua debet homo vitare peccatum carnis, cum oratio non obliget tunc per se, sed per accedens: ergo omisio non est peccatum distinctum à peccato illo, quod per orationem vitari debebat, vt in simili bene obseruauit Tannerus 2. 2. disputat. 2. quæst. 4. dub. 4. num. 83. Non est ergo obligatio explicandi omissionem orationis, sed sufficit explicari lapsum carnis.

Septimò dubitari potest circa modum peccandi; an qui gestando reliquias Sanctorum collo suspensiones exercet actum venerum, debet etiam circumstantiam explicare in confessione. Videtur enim affirmare Philarchus de officio Sacerdotis, tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 9. ad finem, cuius sententiam reicit Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 40. num. 28. & Fagundez in primo præcepto Ecclesie, lib. 1. cap. 4. num. 13. & alij quos sequitur Diana tom. 3. tractat. de Sacrament. resol. 67. Certè negari non potest, esse aliquam irreuerentiam specialem contra Sanctorum reliquias; sed non videtur ita grauis, vt addat malitiam mortalem necessariò explicandam. Posset tamen irreuerentia illa ad eò crescere, vt fieret mortalis: quid enim si Sacerdos portans secum sacram Eucharistiam illud peccatum committeret? Ego sane non excusarem à peccato graui contra Religionem. Non est autem eadem ratio de quolibet alio peccato mortali, v.g. detractio, contumelia, &c. quia non omnia continent æqualem irreuerentiam, & turpitudinem contra præsentiam corporis Christi.

Octauò, aliqui dubitant, an qui peccat resistendo simul vehementissimæ inspirationi diuinæ, debeat eam circumstantiam explicare, sed licet ex ea parte aggrauetur peccatum, & posset ad eò vehementius esse inspiratio, vt notabiliter aggrauaret: in nostra tamen sententia explicari non debet, cum non transferret actum ad nouam speciem peccati.

Vltimò dubitari potest de modo circa copulam, an & quomodo sit circumstantia explicanda, quando ratione modi impeditur potest generatio prolis. De hoc tamen late, & optimè agit Thom. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 16.

Vltima circumstantia dicitur, Quando. Circa quam est communis quæstio, an circumstantia temporis facti sit necessariò explicanda in peccato. Non pauci, nec ignobiles id affirmant. Alex. Alensis, Lyra, S. Antonin. Maior, Angelus, Adrianus, Catharinus, Nider, quos refert Fagundez dicto lib. 4. de secundo præcepto Ecclesie cap. 5. num. 20. Eandem tenent Turrecrem in c. pronuntiandum, de Consecratione, disp. 3. num. 4. Petrus de Soto lect. 9. de confess. Angelus verbo Ferie, §. 36. & verbo Confessio primo, §. 22. & verbo interrogationes circa tertium præceptum. Rossella Confessio 2. §. 7. & verbo Ferie, §. 6. Abulens. in cap. 20. Exod. quæst. 21. in fine, & quæst. 11. Medina Cod. de Confess. q. de hac re, & de orat. quæst. 19. & actiter Cordoua lib. 1. quæst. 6. Videtur etiam huic sententiæ fauere S. Thom. 2. 2. quæst. 12. art. 4. ad 3. vbi ait, eum facere contra præceptum obseruandi festum, qui eodem die peccatum mortale committit. Augustinus etiam, qui lib. de decem chordis dicit: Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vile in Sabbato, quam in Theatro seditiosus

existeret; & scemina Iudeorum melius lanam facerent, quam in neomenis impudicè saltarent. Videatur idem August. epist. 119. ad Ianuarium, & in cap. Consideret, de penitent. disp. 5. Theophylactus etiam in cap. 5. Ioannis, & deniquè fauere videtur Concil. Colonienfe anno 1536. tractat. de exteriori penitentia, fol. 180. dicens, quod bis peccat, qui diem Dominicum scortis, rixis, & pugnis, & alijs oblectamentis agit.

Contraria sententia communis nunc est apud ferè omnes, quæ tenent Syluester in Rosa aurea, tract. 3. casu 63. impertinentium, vbi refert, multos magistros sui ordinis congregatos id definisse. Et in Summa Confessio 1. quæst. 10. & verbo Dominica quæst. ult. & verbo Circumstantia, quæst. 3. §. 4. Tabiena verbo circumstantia, §. 11. Alcozer in Summa, c. 17. Palacios disp. 26. quæst. 3. Armilla verbo Circumstantia, n. 9. Caietan. 2. 2. quæst. 122. art. 4. & 1. 2. quæst. 7. art. 1. & tom. 1. Opuscul. 18. q. 3. & in Summa, verbo Festa. Dominicus Soto de iust. lib. 2. quæst. 2. art. 4. & in 4. disp. 18. quæst. 2. art. 4. Cano de penit. d. 5. in princip. à num. 17. Almainus in 4. disp. 17. col. 24. Medina in Summa lib. 1. cap. 9. §. 2. & 1. 2. quæst. 7. art. 3. Couarr. cap. Alma mater, part. 1. §. 5. num. 5. & fauet etiam S. Thom. 2. 2. dicta quæst. 122. art. 4. in corpore, & in 3. disp. 37. art. 5. q. 2. Vivald. Suarez, Coninch, Henriquez, quos refert & sequitur Fagundez ubi supra, Ledesma, Vasquez, Nunnus, Bonacina, & alij, quos refert & sequitur Diana 1. tom. tractat. de circumst. aggrauant. resol. 32.

Aliqui tamen hanc sententiam limitant. Primò, si in die Veneris sancti committatur peccatum enorme. Secundò, si eo die, quo accepit Eucharistiam. Ita Bartholomæus Medina in Summa dicto cap. 9. §. 1. & in 1. 2. dicta quæst. 7. art. 3. & ponit exemplum, si ea die post communionem committeret fornicationem. Pro eadem sententia Diana ubi supra affert Pitiglianò, Rodriguez, & Llamas. Quibus addi potest Palatius supracitatus, qui ait, quod si aliquis die festo abnegaret fidem, coleret idola, vel etiam Deum, cultu tamen Iudaico, vel Mahometano, vel Dæmonem inuocaret, deberet explicare circumstantià diei festi: quia præceptum colendi Deum specialiter illa die obiter prohibet specialiter contrarium illius.

Ego in primis cum secunda sententia puto, non omnia peccata mortalia in die festo contrahere circumstantiam necessariò confitendam. Aduerto tamen primò, hoc punctum nullo modo debere dependere ab illa alia quæstione, an debeant explicari, vel non, circumstantiæ notabiliter aggrauantes: nam si dies festus sit circumstantia notabiliter aggrauans; debet, meo iudicio, in omni sententia explicari in confessione; non potest enim notabiliter aggrauare, quin eo ipso det malitiam grauius alterius speciei: quia grauitas illa maior, quæ prouenit fornicationi, verbi gratia, ex die festo, non est ex motu temperantiæ, sed religionis, cui opponitur peccatum illud contra reuerentiam debitam diei sacro: ergo si additur grauitas notabilis ex illo capite: illa sufficit ad dandam speciem malitiæ grauis contra religionem. Tota ergo difficultas est, an dies sacra refundat grauitatem notabilem in quodlibet peccatum mortale.

Aduerto secundò, negari non posse, quod circumstantia illa, per se loquendo, & seclusa ignorantia, vel inaduertentia, aggrauet aliquantulum, ac per consequens det malitiam specialem sacrilegij saltem leuem, vt supra dicebamus de circumstantia loci sacri: quia sicut persona sacra aggrauat quodlibet peccatum mortale, quod committit, quia per quodlibet peccatum graue prophatur persona Deo sacra: sic etiam quodlibet peccato mortali

Hh 4 profa

516

517.
De peccato
enormi com-
misso in die
Paracetes,
& in die co-
munionis Eū-
charistiæ.

518

519

profanatur dies sacra, & peculiariter destinata ad Dei cultum.

520.

His suppositis probatur, non omne peccatum graue contrahere malitiam grauem contra religionem, necessariò explicandam ex eo, quod fiat in die festo: primò, ex praxi vniuersali omnium pœnitentium & Confessariorum, qui non curant de illa circumstantia explicanda, vel interroganda. Secundò, quia si ibi esset duplex malitia mortalis, multiplicatio festorum magis esset in laqueum: quàm in vtilitatem fidelium, cum experientia constet, non arceri communiter homines à peccando propter reuerentiam diei festi, & aliundè duplicarentur semper eorum peccata. Tertio, quia suprà diximus circumstantiam loci sacri non esse necessariò explicandam, nisi in certis peccatis, quæ specialiter prohibentur ob reuerentiam loci sacri; ergo eodem modo dici debet, circumstantiam diei sacri esse explicandam solum in certis casibus, & peccatis, quæ specialiter prohibentur ab Ecclesia ob reuerentiam diei sacri, ut opera seruilia, ommissio Missæ, &c. Reliqua enim, licet aliquantulum opponantur reuerentiæ debitæ tali diei: non tamen videntur continere notabilem irreuerentiam, nisi fortè fieret in contemptum diei sacri, aut ex industria, ut profanetur dies sacra, tunc enim non est dubium, quod esset necessariò explicandum.

521.

Dicunt peccatum mortale aduersari notabiliter cultui Dei, qui specialiter intenditur, & præcipitur in die sacra: ergo habet notabilem irreuerentiam contra diem sacram. Respondetur communiter finem præcepti non cadere sub præcepto, & satisfieri ponendo rem præceptam, licet non ponatur finis. Sed contrà, quia cultus Dei non solum est finis præcepti in hoc casu, sed est ipsa res præcepta. Respondetur tamen distinguendo: præcipitur enim cultus Dei non omnis, sed talis, scilicet per vacationem ab opere seruii, & auditionem Missæ, cui cultui si peccatum opponatur, contrahet specialem malitiam grauem: cultus autem Dei in genere est quidem finis remotus, sed non est res præcepta: nam Ecclesia præcipit quidem vacationem à seruilibus, ut homo liber, & expeditus possit vacare Deo, & orationi: sed hic finis non præcipitur: idèd peccata, quæ omnia opponuntur huic fini, non contrahunt ex eo specialem malitiam grauem. Sicut etiam præceptum ieiunij habet pro fine carnis macerationem, & tamen si aliquis eo die in prandio se ingurgitet, & repletur cibo, & potu, ita ut peccatum etiam graue gula committeret, aut si alia via moraliter illicita carni suæ blandiretur; non deberet in eo peccato explicare circumstantiam ieiunij præcepti: quia licet illud peccatum aduersetur fini remoto, quem præceptum ieiunij intendebat, non opponitur rei præceptæ, quæ solum est talis maceratio carnis per abstinentiam à talibus cibis, & vnicam comestitionem.

522.

Vndè ad Augustinum suprà adductum dici potest verum esse, quod minus malum esset laborare in die festo, quàm alia peccata grauiora committere; hinc tamen non fit alia peccata habere duplicem malitiam specificam, satis est, si habeant vnam multò grauiorem, quàm esset malitia operis seruilis. Similiter in Concilio Colonienſi non dicitur esse confitendam illam circumstantiam necessario, sed solum bis peccari, quod nos etiam concedimus, sed dicimus regulariter non esse obligationem explicandi vtramque malitiam, quia altera ex illis non est mortalis: optimum autem consilium erit illam etiam confiteri. Similiter ad Sanctum Thomam *illo art. 4. ad 3.* Respondetur, cum non dicere,

quod opponitur grauius præcepto, sed solum dicit, quod magis est contra præceptum obseruandi festum quodlibet peccatum mortale, quàm opus corporale licitum, quod sanè verissimum est; nam opere corporali licito nullo modo violatur illud præceptum, sicut violatur saltem venialiter per quodlibet peccatum mortale.

Hinc infero, neque etiam in die Iouis, aut Veneris sancti, nec in die, qua accepta est Eucharistia, omnia peccata mortalia contrahere malitiam grauem necessariò explicandam: quia alioquin Sacerdos, qui quotidie celebrat, deberet in singulis peccatis, quæ facit, explicare illam circumstantiam Missæ celebratæ illo die. Ratio autem est, quam attulimus: quia licet illa circumstantia refundat malitiam aliquem irreuerentiæ specialis, non tamen tantam, ut fiat grauis: sicut neque est locus ita sanctus, in quo omnia, & singula peccata mortalia accipiunt specialem malitiam necessario explicandam.

Addo tamen posse aliquod peccatum ratione temporis sacri contrahere malitiam grauem nouam necessariò explicandam: sicut id diximus suprà posse etiam contingere ratione loci. Exempla autem in præsentem esse possunt. Primò, si illo die Veneris sancti aliquis vellet ludos publicos, comedias, & ludicra spectacula exhibere, sicut in diebus Bacchanalium, illa certè videretur grauissima irreuerentia contra sacratissimum diem passionis Christi Domini. Item si aliquis ab ipso Altari in quo celebrat, iret immediatè ad peccandum cum concubina, videretur etiam grauissima irreuerentia. Nam Ecclesia propter grauissimam irreuerentiam, quæ fieri videtur Sacramento Pœnitentiæ, designat grauissimas penas Sacerdoti, qui immediatè, & proximè post confessionem sollicitat penitentem ad turpia, vel colloquia turpia cum ea miscet, factique illum ab iurare de vehementi, vel de leui propter suspitionem, quam grauissimum illud scelus merito affert. Supponitur ergo interuenire ibi irreuerentiam grauem contra Sacramentum ratione temporis, quo illud peccatum fit. Cur ergo irreuerentia similis contra Eucharistiæ sacramentum non continebit peccatum graue etiam contra religionem ratione temporis, quo fit immediatè post communionem? Hoc tamen non procedit æqualiter in quocumque peccato, quia non omnia afferunt æqualem irreuerentiam, ut in simili dicebamus de loco sacro.

Possèt hic tractari etiam de circumstantia temporis longioris, quo peccatum durat, an debeat explicari: sed de hoc dicemus infra agentes de numero peccatorum explicando. Alij agunt etiam in præsentem de circumstantia duplicis præcepti concurrentis, an debeat explicari, v. g. quod erat præceptum audiendi Missam ex duplici titulo propter festum Apostoli occurrentis die Dominica. De hoc tamen diximus suprà *sect. 5.* agentes de circumstantia, *Quid*, ad quam magis videbatur spectare.

SECTIO XIII.

An possit circumstantia aliqua taceri propter detrimentum, quod sibi, vel alteri pœnitens timet.

Conclusio certa, & communis apud omnes est. Affirmatiua, de qua videri potest Suarez in præfati *seuti, disputat. 22. sect. 2.* Henriquez lib. 5. cap. 12. *num. 5.* Coninch *disputat. 7. dub. 9. num. 75.* qui alios multos referunt. Circa hanc communem doctrinam aduertendum est primò, non sufficere quodcumque leue detrimentum, quod timeatur, nec ex